



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres

Tylkowski, Wojciech

Oliva, 1686

V. Quia Tyrannos Ecclesiæ domuit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

5. Quia Tyrannus Ecclesiæ domuit.

Amphilochius quod sequitur in *vita S. Baslij* narrat. Julianus Cæsar impius supremum Ecclesiæ meditabatur excidium, & cum fuisset minatus id testatis verbis, S. Basilius se cum populo in templum Virginis recepit, ac triduanæ orationi vacavit, Julianus interim contra Perfas abiêrat, comparuit Virgo augustissima Basilio ac S. Mercurium cuius in eo templo corpus, & arma asservabantur, iussit arma sumere, ac de impio Tyranno pœnas exigere. Id visionis per somnium habuit Basilius, qui evigilans neque corpus, neque arma amplius S. Mercurij conspexit. Post duas tandem horas cum lancea cruenta S. Mercurius comparuit; at post quartum diem advolat Quæstor Libanius, necem Cæsaris narrat factam manu militis incogniti, qui septemplex custodiam perreperat.

Jam aliud accipe. Copronymus Cæsarum lues, ac Successor illius Leo Armenus bellum sacris Imaginibus indixerant, & ideo Catholicos ferro & igne tollebant, sed adeo Virgo pro Ecclesia contra Copronymum stetit, ut ille cælesti correptus igne, clamaret se viventem in ferni flammis addictum, precarique ut Maria meritis laudibus, quibus mitior fieret ornaretur. Armeni verò Mater videbatur sibi esse in Blachernis, Templum id est Constantinopoli Virginis nostræ amplissimum, ibi D. Virginem videre: interea toti pavimento innatantem conspexit sanguinem, ex quo Regina Cœli vas jubet impleri, ac Matri Armeni offerri, ut biberet, recusat illa; tum Divina Virgo, atqui tuus Filius non facit finem effundendi sanguinem eorum, qui me venerantur, adeoque non cessat in se Deum Filiumque provocare; simulque addit Virgo paulò post Leonem periturum. Ita ex *Zonara*, etsi paucioribus *Bosius lib. 4. cap. 10.* Quod è Tyrannide Gothorum erepta fuerit Italia, quòd Ariani Hæretici ex ea expulsi, Deiparæ debere docet. Et olim liberaturus Deus veterem synagogam Duce Moyse in nube comparuit, qui *rubus ardens incombustus* Virginis nostræ symbolum fuerat.

Hinc dixit *Gregorius Nicomed. orat. de Præsent. cap. 12.* Virginem Christianorum multitudo murum habemus fortissimum. Profectò teste *Ib. Walsinghamo in Henr. IV. B.* Virgo S. Thomæ Cantuariensi Episcopo dedit cæleste quoddam unguentum, quo Reges Anglorum qui ungerentur pugiles essent benigni Ecclesiæ.

6. Quia est Scutum quo nos protegimur ab ira Dei.

Canunt *Menas 5. Maij.* Te nos Christiani ac planè te solam irato objicimus Domino, quæ ut elementius de nobis statuere dignetur, impellas. Mihi id mysteriù adumbrasse videtur historia *2. Reg. 14.* Offensus erat & meritissimè Absoloni David, quem

F 2

accesit